



Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Apostolica contra nostri temporis hæreses

In quibus Loca illa explicantur, quæ Hæreticj hodie (maximè Caluinus & Beza) vel ad sua placita stabilienda, vel ad Catholicæ Ecclesiæ dogmata infirmanda ...

In Epistolam B. Pauli ad Romanos

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

19. 20. 21. Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? voluntati eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-39447

eternum exitium destinato creatos fuisse, blasphemus affirmat. Quod posterius in sequentibus fortius asserit, & Apostolicam asputationem totis viribus eò contorquet. sequentia igitur apud Apostolum vno contento discutienda sunt, vt tota hominis impetate patefacta, eam semel plenius refutemus, sententiãque Apostoli genuinam ac germanam contra impias eius corruptelas offeramus. Sequitur in Apostolo:

99. Dicit itaque mihi, Quid adhuc queritur?
100. voluntati eius quis resistit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum et qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?

Ad hanc Apostoli prosecutionem instat gnauiter Calvinus, vt suas lectori impias blasphemias obtrudat. Hic (inquit) presue tumultuatur caro, quum audit ad Dei arbitrium referri quòd ad mortem destinati sint qui peccant. Et paulò post, interiecta hic contra Scholasticos putida calumnia, nulla refutatione digna: Quarunt (inquit) hoc loco impij, quid habet causa Deus cur nobis irascatur, quum nos tales formauerit, quum pro suo nutu agat quòd viderit? quid aliud nos perdendo quàm opus suum nobis vlciscitur? Neque enim nostrum est cum eo colligere: vt maxime repugnemus, ipse superior euadet.

euadet. Proponit impiorum nomine impius
 Calvinus talem quæstionem, non qualem
 Apostolus per modum obiectionis format,
 sed qualem vix aliquis impius, nisi atheus
 aliquis aut dementia plenus, formare vellet.
 Obiectio ab Apostolo proposita hoc solum
 habet, *Si Deus, cuius vult, miseretur; & quem
 vult, indurat*; id est, quem vult, in suo peccato
 relinquit; quid causæ habet Deus cur nobis
 irascatur? *voluntati enim eius quis resistit?*
 Si vult nos deserere, quomodo possumus
 quod rectum est operari, vel ad salutem per-
 tingere? Hæc obiectio est ab Apostolo pro-
 posita, ad quam postea duo responderet, ut
 mox videbimus. Nunc hanc quæstionem de
 obiectionem aggrauat impius Calvinus, ut
 non solum de voluntate Dei permittente
 quosdam perire, (volens enim permittit
 Deus quicquid permittit) sed etiam de vo-
 luntate Dei homines ad malum formantem,
 & impellente ad interitum, obiectio proce-
 dat. Ait enim impiorum nomine, *Quum
 tales formauerit, quum pro suo nutu nos agat
 libuerit.* Hæc sanè obiectio non solum iniqua
 & temeraria est, sicut altera; sed prorsus
 impia & falsa, quam Apostolus non propo-
 suit, & cuius occasionem verba Apostoli sub-
 ministrare non poterat. Sed quia verum hoc
 esse Calvinus vult, & pro vero sustinet,
 Deum reuera formare impios ut tales sint,
 nosque pro suo nutu agere, id est, ad peccan-
 dum

Apostoli
 versu obie-
 ctio de
 iniquitate
 se in Deo
 apparente

Deum for-
 mare im-
 pios, &
 eos pro
 nutu suo
 agere Cal-
 uinus
 vult.

iam impellere, quò libuerit (sic enim alibi
 scribit de Deo, quòd *impiorum volun-*
tas ad malum excitat, & conatus firmat) vult
 esse Apostolicæ obiectionis sensum, vt
 obiectione ab Apostolo non soluta, sed
 confirmata (sic enim Calvinus & prius
 docuit, & mox docebit) impia quoque ob-
 iectionis sententia firma ac valida perma-
 neat. Quare primam Apostoli responsionem
 oburgatoriam, *O homo, tu quis es qui respondeas*
Dei? &c. his verbis glossat Calvinus: Hoc
 patet, nullam Dei arbitrio causam superio-
 rem adduci. *Quam in promptu solutio esset, ex iustis*
rationibus pendere discrimen; cur hoc compendio nò
vsus Paulus, sed Dei voluntatem in summo gradu
laudet, vt nobis pro causis omnibus vna sufficiat?
 Certe si falsa fuisset obiectione, Deum reprobare vel
 argere pro suo arbitrio, quos vel fauore non digna-
 tur, vel quos gratuito amat, refutatio non fuisset à
 Deo neglecta. Obijciunt impij, reatu eximi homi-
 nes, si in eorum salute vel exitio primas partes tenet
 Dei voluntas. An negat Paulus? Imò sua responsione
 confirmat, Deum, quod visum est, de hominibus
 iudicare: frustra tamen ac furiosè insurgere homi-
 nes ad lingandum, quia segmentis suis Deus quam-
 visque voluerit sortem iure suo assignat. Hæc Cal-
 uinus, in eo acriter insistens, vt doceat obie-
 ctionem factam non solui ab Apostolo quasi
 falsam, sed confirmari quasi veram; idque
 in eo obiectionis sensu, quem ipse aggrauan-
 do confinxit, vt iam ostendimus. Cæterum
 in his

Infirmus. l.
 2. cap. 9.
 nuca. 3.

in his quidem verbis adhuc obiectionem non
 soluit Apostolus, sed voluntatis diuinæ (qua
 quibusdam miseretur, quosdam indurat)
 scrutatores, temeritatis & audaciæ merito
 arguit. Soluit tamen in proximè sequentibus
 verbis, vbi alteram responsionem attexit, et
 ipsemet Calvinus agnoscit, moxque expli-
 cabitur. Hæc autem Apostolica obiurgatio
 ab ipsa hominum vilitate desumpta, iustis-
 sima & grauissima est, huncque sensum ha-
 bet: Non debet figmentum cum suo factore
 contendere, nec operum eius rationem exi-
 gere, iuxta illud Esaiæ: *Va qui contradisti
 tibi tibi, testa de samijs terra. Nunquid dicit litem
 figulo suo, quid facis? & opus tuum absque marte
 est?* Si ergo potestatem habet figulus ex e-
 dem massa facere quædam vasa honorati-
 vibus deputata, quædam verò vilioribus,
 quanto magis ex duobus peccatoribus tam
 quoad naturam figmentis & creaturis. De
 quàm quoad contractam ab origine præuice-
 rem aut etiam propriam superadditam que-
 uis luto vilioribus, potest Deus absque illi
 iniuria, vel iniquitate, vnius misereri, alio-
 rius non misereri, aut certè non perinde mi-
 sereri, sed vni maiora auxilia dare, quibus
 præuidet eum conuertendum, & vas in
 honorem futurum, alijs huiusmodi auxilia
 denegare! Huius discriminis ratio à sola
 Dei voluntate pendens, non tamen iniusta,
 sed æquissima, ab homine petenda non est,
 neque

Obiurga-
 tionis
 Apostoli-
 cæ sensus.

Esai. 45. 9.

ego cum Deo huiusmodi profanis vocibus
 curandum, *Quid adhuc queratur, quare pec-*
tores punit? voluntati eius quis resistit? Hæc
 enim verba arrogantia & temeritatis
 plena: non quod nulla ratio electionis ac re-
 probationis diuinæ ex parte ipsius Dei dari
 mereat (dabit enim aliquā statim Apostolus)
 sed quod huiusmodi hominum expostulatio
 contra Deo, creaturæ contra Creatorem, indi-
 gnisima & non ferenda est. Neque verò (vt
 obiter dicam) hæc Apostolica obiurgatio
 ad quolibet absurdas sententias absque legi-
 tima discussione & examine asserendas tra-
 henda debet, vt non rarò Calvinus facit; quasi
 hic locus vnus cuneus esset ad omnes nodos
 dissoluendos, & ad omnem absurdam & in-
 congruam Deo sententiam tuendam perperuus
 impetus: sed ad præsentem tantum Apostoli
 disputacionem aptanda est, si ex Apostoli
 mente, & non ex proprio cerebro, disputa-
 re volumus. Nempe vt circa occultā illam,
 sed nullisimam, auxiliorum gratiæ distribu-
 tionem inæqualem, & circa permissionem
 peccati, contra Deum disputare nemo præ-
 sumat. Exemplum porrò & similitudo figuli
 non ita accipienda est, quasi quæadmodum
 figulus ex luto facit vasa in cõtumeliam, ita
 etiam Deus ex hominibus vasa in contume-
 liam efficiat. Cùm enim vasa in contume-
 liam non sint alia quàm vasa iræ aptata in
 iudicium æternum, atque per hoc non sint
 alia

Instituit
 libro 3.
 cap. 24.
 in fine &
 cap. 23.
 num. 4.

Figuli si-
 militudo
 quo modo
 accipienda.

alia quàm peccatores in lethali peccato existentes, ratione cuius vasa sunt contumelia (etsi Calvinus utrumque doceat, illudque prius propter hoc posterius consequenter affirmet) sed ipsi sua libertate seiplos talia efficiunt, possuntque seiplos mundare interim dum sunt in via auxiliòque Dei, quod nulli vnquã deest, efficere vasa in honorem iuxta illud Apostoli. *Si quis se emundaverit istis, erit vos in honorem*; vbi loquitur de vasa contumeliæ adhuc in via positis, & in hac militante Ecclesia, quam vocat *domus dei magnam*. Similitudo ergo hoc docet, quòd sicut figulus absque vlla iniuria aut nota habet potestatem efficiendi ex eadem massa luti aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; ita multo magis absque cuiusquam iniuria aut indecentia ex parte Dei, est potestas in Deo ex duobus peccatoribus luto melioribus efficere vnum vas in honorem, prebendo auxilia quibus prævidet sanctificationem, relinquere verò alterum vas in contumeliam, quale ipse se effecit, non tribuendo illi subsidia quibus prævidet conuertendum, relinquens tamen ac tribuens semper auxilia sufficientia quibus potuit conuerti si vellet, vt verum semper sit, quia verum est, *Perditio tua ex te*. Sic apud Hierem. cap. 18. videtur hanc similitudinem Apostolus accepisse videtur, postquam dixisset Deus, *Sicut lutum in manu figuli, sic vas in manu mea, &c.* Repente loquitur

2. Tim. 2.

© sic 2.

ad gentem vt radicem & destruam; statim
adungit: Si penitentiam egerit gens illa, agam
ego penitentiam, & subito loquar de gente vt
radicem & plantem illam. Quo in loco diser-
tissime docet Propheta, Deum facere vasa
contumeliæ qui penitentiam non agunt, fa-
cere vasa gloriæ qui agunt; illos, quia gratiam
Dei liberè abiecerunt; istos, quia eadem libe-
rè rectè vsi sunt.

Nunc igitur quo sensu Deus cuius vult, mi-
seretur; & quem vult, indurat; contra nefariam
Caluini corruptionè breuiter explicabimus,
posteaque de tota eius circa reprobationem
peccatorum blasphema sententia plenius di-
cemus. Germanus sensus horù verborum est,
quod quando ex duobus peccatoribus, Dei
misericordia indignis, vnus Deus miseretur,
ordinando ex æternitate auxilia gratiæ
congrua, eadèmq; in tempore cõferendo; al-
teru verò obdurat, similia auxilia non confe-
rendo, relinquendo tamen semper sufficien-
tibus; quòd hoc totum sit non volentis, neque
meritis hominis, quasi ex aliquo vel merito
vel præuio conatu eius, sed miserentis Dei,
cuius vult, misereatur; & quem vult, in-
durat. Talis enim distributio auxiliorù non
aliam habet causam, quàm liberam Dei vo-
luntatem; vnde Augustinus: Indurare dicitur
Deus eum quem mollire noluerit. Rursum, alio in
loco: Obdurat Deus deserendo, & non adiutando
(sufficaciter scilicet intelligit) quòd occulto iudi-
cio facere

Reprobatio an ex
solo Dei
beneplacito.

De præd.
& gr. c. 4.
Tract.
53. in Ioa.

N n cio facere

cio facere potest, iniquo non potest. Sanè ex Augu-
 stini sententia etiam ipsum primum repro-
 bationis effectum, qui est, non misereri, &
 non dare gratiam qua peccator efficaciter
 conuertitur, ex præcedentibus peccatis ca-
 sam accipere, luculenta & frequentia eius
 testimonia manifestum faciunt. *Voluntate* (in-
 quit) *sua quisque deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo. Quis hoc negat? Et in eodem libro*
iterum: Inuestigabilis est misericordia, qua, cum vult, miseretur, nullis eius præcedentibus meritis, & inuestigabilis veritas, (id est, iustitia) qua, cum vult, indurat, eius quidem præcedentibus meritis cum eo, cuius miseretur, plerumque committitur.
 Et paulò post: *Itaque misericordiam eius in his qui liberantur, & veritatem in iis qui puniuntur, sine ulla dubitatione credamus.* Hæc ille Rursum in loco hæc Pauli verba proferens ait: *Quibus auditis quod ait Apostolus, Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, in eo quem permittit sedere indurari, mala eius merita credite; in eo vero cui miseretur, gratiam Dei, &c.* Iterum in alio libro: *Qui liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.* Et in epist. ad Sixtum: *Quærimus meritum obdurationis, & invenimus Meritò namque peccati vniuersa massa damnata est.*
 Et paulò post ibidem: *Quibus Deus misericordiam non impertitur, ut non impertatur merita.*
 Tota igitur obduratio vel in pœnam peccatorum præcedentium est, idque committitur & sæpissime, vel etiam ex solo Dei beneplacito.

De bono
persecr.
c. 6. & 15.

De grat.
& libero
arbitrio
cap. 23.

De bono
persecr.
cap. 3.

Epist. 105.

esse potest. Sic & ipsa permissio peccati
 reprobis potest sanè esse à sola Dei volun-
 tate, vt permissio peccati originalis fuit, post
 penam tamen amissam non nisi in pœnam
 delictorum præcedentium esse solet. Quare
 duo diuinæ quidem prouidetiæ effectus
 sunt, non tamen ipsius reprobationis, quæ
 proprie reiectionem significat, in pœnam
 peccati iustè inflictam aut decretam, (vt ad
 Rom. 6. *Terra proferens spinas ac tribulos, repro-*
bat; & 1. Cor. 9. *Castigo corpus meum, ne forte*
reprobatus effectus) nisi fortè in genere causæ fi-
 nis, eò quòd pars integri finis, ob quem
 peccata permittit Deus vult, est, vt iusta
 deorum reprobatio, & consequen-
 ter diuina iustitia eluceat. Vnde apud Pau-
 lum sequitur. *In hoc ipsum excitauit te, &c.*
 que sanè Pauli verba non id docent, Deum
 sua sola simplici voluntate, & ad solâ osten-
 tionem potentie suæ, Pharaonè aut alios re-
 probasse, vt impius Calvinus ex illis verbis
 deducit; sed docet permissionis peccati &
 reprobationis in sensu iam dicto inter alios
 fines hunc vnum esse, vt splendor diuinæ iu-
 stitiæ magis eluceat. Sunt etiam alij quoque
 huius rei fines. Primus, vt creaturas libertate
 præditas propriæ naturæ conformiter agere
 possent; deinde, vt hac occasione fieret Chri-
 sti incarnatio, & generis humani redemptio:
 tum vt certamina & victoriæ iustorum, ciui-
 tatem Dei celestem illustrarent. Aliâ bona

Pharao
 quomodo
 à Deo ex-
 citatus.

Permissio
 nis pecca-
 torum fi-
 nes.



permissionis malorum vide in Damasceno
lib. 2. cap. 29. de orthodoxa fide.

Nunc ad propriam Caluini disputationem
veniamus. Quia Apostolus dixit, *Non ex opo-
ribus sed ex vocante dictum est, Maior seruitur
nori, & rursus, Iacob dilexi, Esau autem odia-
bui*; concludit Calvinus, in reprobatione
Esau, & quorumuis aliorum, solam Dei vo-
luntatem, absq; vlla operum consideratione,
pro causa reprobationis ponendam esse. Sed

Reproba-
tionis so-
lam cau-
sam Dei
volunta-
tem esse,
ex Paulo
colligi nō
potest.

huic loco respondetur, Paulum hic de re-
probatione locutum non fuisse, sed de sola
electorum prædestinatione. Quod enim
ex vocante Deo & secundum propositum
Dei factum est, non nisi electionem ex gra-
tia significat. Vtrumq; sanè Apostolus con-
iunxit, quia de utroque coniunctim Scriptu-
ra loquitur. Sed vocantis Dei propositum
secundum electionem non nisi ad prædesti-
natos pertinere posse, euidens & indubita-
tum est. Huc accedit quòd propositum A-
postoli hoc vnum erat, vt ostenderet electio-
nem fieri ex gratia, siue Gentium, respectu
Iudæorum; siue paucorum Iudæorum, re-
spectu cæterorum qui non crediderunt, vt
antea ostensum est. Arguit rursus Calvinus
vtrumq; ex solo vocante & sola Dei volun-
tate promanare, quia super hoc Pauli ver-
bo proposita obiectione, *Nunquid iniquitas
pud Deum?* Paulus eam non soluit, sed con-
firmat, addens & concludens, *Cuius vult, prop-*

... & quem vult, induat. Sed huius obiectionis ille sensus est, videri posse Deum iniquum, non quia reprobauerit Esau & alios illorum demerito, sed quia non etiam illis gratis & absque merito prædestinauerit, sicut iacob. Nam ad hoc respondet Apostolus, Deum non esse iniquum, quia potest pro suo beneplacito cuius vult, misereri, sine iniuria alterius cuius non miseretur. Hunc apostolicæ obiectionis sensum intelligens Augustinus, ita scribit: Nunquid iniquitas est quæ Deum, exigentem à quo placet, donantem cui vult? Qui nequaquam exigit indebitum, nequam donat alienum. Et rursus: Propter illud quod inconcussum tenetur, non esse iniquitatem apud Deum, neminem obdurari nisi merito nouerimus, cuius nullus iustificetur suis meritis precedentiibus. Similia habet lib. de corrept. & gratia cap. 11. & aliàs passim. Hoc igitur modo ac sensu iniquitas apud Deum non est. Illo autem modo ac sensu quem sibi Calvinus finxit, ut Deus absque vlla demeriti consideratione, & ex sola sua voluntate, omnes reprobos exitio deuoueret, ab iniquitate Deus non liberatur.

Imò Caluini execrabilem sensum ipsa apostoli verba manifestè reijciunt. Ipse enim Augustinus multis modis indicat, peccata reprobis esse Deo causam cur illum absolutè reprobet. Primò, quia vocat illam odium Dei. Deum autem nihil odit in homine nisi peccata;

Ad Simplic. lib. 2. q. 2.
Epiſt. 106.

Peccatum reprobationis causam esse docet Paulus.

N n 3 cata;

Ad Sim-
plic. lib. 1.
q. 2.

cata, ut late disputat Augustinus, tradens illa verba, *Esau odio habui*; ubi tandem concludit: *Deus igitur non Esau hominem odit, sed Esau peccatorem*. Fuit quidem hoc Dei odium ante peccata actu perpetrata, sicut & antequam homo esset Esau: sed quemadmodum prouidit Deus Esau nasciturum, eodem modo prouidit eum peccaturum, & propter peccata merito suo reprobandum. Secundo idem docet Apostolus quum dicit, *Deum, qui vult, indurare*. Induratur quippe nemo nisi qui iam malam voluntatem habet, secundum quam & propter quam induratur: sicut & nemini Deus miseretur, nisi in quo peccatum fuit, quod misericordia indigebat. Tertio idem docet Apostolus quum dicit, *Sustinet in multa patientia vasa ira aptata in interitum*. *Pr*

Libro 83.
qq. 9. 68.

hoc quod dicit, in multa patientia (ait Augustinus) *satis significare videtur priora peccata*. Neque enim sustinet Deus in patientia nisi peccatores.

Lib. 1. ad
Monimū

ita scribit: *Quaeso, Monime charissime, ut hunc locum Apostoli diligenter attendas*. Notum nunc est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominum iniquitas precesse. Postremo (ut postea latius dicetur) causam reprobationis Iudeorum confert Apostolus partim in ipsorum superbiam & vanam de lege gloriationem, partim in incredulitatem: de illa dicens,

Rom. 9. *Israel, sectando legem iustitia, in legem iustitia non peruenit*

venit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus: de
 hic dicens, Propter incredulitatem facti sunt. Rom. 17.
 Hec ostendunt, peccata cuiusque reprobi
 Deo causam iuste & legitime mouen-
 tem, cur illum absolutè reprobet. Dico ab-
 solutè: nam comparatiuè loquendo, cur hūc
 magis quàm illum Deus deserat, & peccare
 permittat, & paribus gratiæ auxilijs ad gra-
 tiam non vocet, cū paria fortasse vtrius-
 que peccata sint, nulla alia causa nobis cog-
 nita dari potest quàm pura Dei voluntas.
 Quod quidem quia S. Augustinus frequenter
 docet, lib. de bono perseverantiæ, Cur illis po-
 tius quàm illis de:ur misericordia, quis cognouit seu-
 sum Domini? Item alibi, Cur illum potius quàm
 illum liberet, aut nō liberet, scrutetur, qui potest, in-
 dicari eius tam magnum profundum, veruntamen
 cauet precipitium; existimauit Calvinus Au-
 gustini sententiam fuisse, cur Deus absolutè
 aliquem reprobet, nullā causam dari posse.
 A qua sententia Augustinum penitus abhor-
 re, ex ipsius verbis iam citatis perspicuum
 fecimus. Huius igitur comparatiuæ reprobationis,
 id est, cur ex vna & eadem massa pa-
 riter damnata, pariter indigna, pariter morti
 connoxia, Deus quosdam misericorditer eli-
 git, alios iuste reprobet, pro sua voluntate
 non pro conditione materiæ quosdam va-
 sa in honorem faciat, alios vasa in contumeliam
 faciat, qualia ipsa materia postulabat,
 nullam à nobis causam efflagitari aut
 N n 4 inquiri

Reprobationis comparatiuæ sola Dei voluntas causa.

Cap. 11. Epist. 103.

inquiri debere, docuit Paulus; docuit Augustinus, qui in lib. ad Simplicianum ita scribit: *Quare huic ita, & huic non ita? Homo, inquit, es, qui respondeas Deo? Et alio in loco: Sed isti sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis & innumerabilibus modis vocentur vt reformentur, absque dicamus iudicium luti esse, sed figuli. Quare de absolute cuiusquam reprobatione loquendo, qui eius causam ex parte reprobati praefuisse negat, ex sententia Augustini Deum iniquitatis & iniustitiae arguit. Si Deus (inquit) quemquam immeritum damnaret, immeritis ab iniquitate non creditur. Et rursus alio in loco: Bonus est Deus, iustus est Deus. Potest aliquos bonis meritis liberare, quia bonus est: non quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est. Calvinus ergo, qui ipsum vltimum reprobationis effectum non secus quam peccatum (qui est negare gratiam, aut non velle auxilia congrua subministrare) soli Dei voluntati tribuit, Deum profecto ab iniquitate & iniustitia non liberat.*

Sed ex Salomone probare vult homo impius reprobos fuisse à Deo destinatos creatos vt perirent. Salomon quippe dicit: *Vniuersa propter seipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum. Sed verba sanctissima nequiter inuertit Calvinus. Si enim Deus vniuersa operatus est propter semetipsum, vtique omnia fecit vel vt misericordiam suam vel vt iustitiam demonstrarent. In impio igitur ad diem*

Impium
ad diem
malum
quomodo
Deus cre-
auit.

ad diem malum factio, quum misericordia
 non reluceat, relucere iustitia debet. Diem
 igitur malum accipit impius ex Dei iustitia,
 iusta damnatione, quæ demeritum neces-
 sariò præsupponit, non ex sola Dei volunta-
 te ad hoc illum creante vt damnaretur. Dies
 malus hoc loco non nisi Dei vindictam iustè
 illam significare potest, quum in tota reli-
 giosa Scriptura aliam significationem non ha-
 beat. Hoc verò in loco iuxta verbi Hebraici
 proprietatem dies malus diem mali, id est,
 afflictionis denotat. ליום רעה. Sic Psal. 26.
 vers. 8. In die malorum, ביום רעה. Salomo-
 nis ergo sententia hæc est: Quoniam inter
 omnia quæ ad gloriam suam Deus fecit, im-
 pius, quatenus talis est, videri poterat non
 comprehendi, eò quòd impius, quatenus ta-
 lis sit, cõtra Dei gloriam & ad Deum se non
 referat; ideo subiicit, *etiam ipsum impium ope-
 ratum est*, id est, ordinavit, *ad diem vindictæ*: nam
 in priori membro, *operari Deum vniuersa in
 seipsum*, ordinare necessariò significat, ne,
 si operari propriam Dei actionem accipias,
 etiam ipsa peccata Deum propriè operari
 consequenter intelligas: quod etsi Calvinus
 priorius doceat, docere tamen videri nõ vult.
 Sicut ergo omnia operatus est Deus ad se-
 metipsum, id est, omnia sua opera ad gloriã
 suam ordinavit tanquam ad vltimum finem;
 sic etiam ipsum impium ordinavit ad diem
 malum, vltionis & vindictæ Dei, ad osten-
 sionem

N n 5

tionem iustitiæ suæ, in qua Dei gloria & potentia relucet, ut hîc disertè docet Paulus. Vbi autem est iustitia puniens, ibi necessarîo intelligitur impietas puniendâ. Sic nec ipsum impium sua voluntate Deus destinâto creavit ut periret, hîc enim impius affirmat Calvinus, sed iustè ordinavit ut periret.

Deum nō creasse homines destinâto ut periret. Nunc hæc Calvini sententia quàm sit in sese impia atque blasphema, paucis ostendatur. Ac primùm omnibus illis Scripturâ apertè refragatur, quæ manifestè docent, Deum, quantum ex se est, & ex parte suæ voluntatis, neminè prorsus velle perire, nedum multò maximam hominum partem (quales reprobi sunt) ad hoc ipsum, ut perirent, destinâto creasse. Clara quidem est Apostoli

1. Tim. 2. sententia: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Sed illam dum suis glossis adulterant hæretici (quod illo in loco fusiùs ostendetur) eò tandem perveniunt, ut Christum pro omnibus mortuum esse disertè negent, quod Beza fecit in respons. ad acta Concilij Montis-belgardensis.

Art. 1. Sed apertam esse blasphemiam docet Prosper in libello ad articulos Augustino falso impositos. Atque hanc generalem Apostoli sententiam luculenter confirmat D. Petrus

2. Petr. 3. ita scribens: *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hîc enim quia negatio singularis in generali, affirmanti generali adjicitur, datur intelligi generalem

generalem affirmantem prorsus generaliter
 sine vlla singularis exceptione accipien-
 dam esse; id que more phrasiss Hebraicæ, quæ
 in propositionem generalem affirman-
 tem sine vlla exceptione manifestè intelli-
 gitur, addit etiã ipsius singularis negationem
 generalem. Verbi gratia: *Omnia que in domo mea*
facta sunt, non sunt res quã non ostendi eis. Rur-
 sum: *Indicauit ei Samuel vniuersos sermones, &*
abscondit ab eo quicquam. Iterum: *Commodaui*
Domino cunctis diebus quibus fuerit commoda-
ta Domino. Sic Ioan. Euangelista more suo
 Hebraizans, quum dixisset, *Omnia per ipsum*
facta sunt, addit, *Et sine ipso factum est nihil quod*
factum est. Petrus ergo tum generaliter affir-
 mans, *Deus vult omnes ad penitentiam reuer-
 ti,* tum in particulari generaliter negans, *Nolens*
quos perire, perspicuè docuit, prorsus gene-
 raliter & sine vlla exceptione se velle intel-
 ligi. Deinde illa Christi vox, *Venite ad me om-*
nes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam
vos, in vlla exceptionem admittit ex parte
 Christi? Aut quisquam mortalium est qui
 non laborat & oneratus est? id est, quem pec-
 cator reatus non constringit? Hoc enim est
 laborare & oneratum esse hoc loco, non eos
 solum qui sub onere gemunt, & peccatis suis con-
 spiciunt iram metuunt, vt glossat eo loco Cal-
 uinus: isti enim iam ad Christum per pœni-
 tentiam inchoatam vnum passum fecerunt,
 & aliquatenus veniunt. Sed eos inuitat
 Christus,

Esai. 39.
 1. Reg. 2.
 1. Reg. 16.
 Ioan. 1.
 Matt. 23.
 Caluini
 glossa re-
 ijcitur.

Christus, qui necdum onera suorum peccatorum sentiunt, vt sentiendo veniant, veniendo reficiantur. Deniq; an illa Scriptura

Ezech. 33.
21.

mentitur, *Viuo ego, dicit Dominus: Nolo mortem impij, sed vt cōuertatur impius, ac viuat?* An de solis electis hoc dicitur. An omnes peccatores reuertuntur ac viuunt, quorum mortē Deus non vult? Quomodo ergo ad ipsos reprobos dicit Paulus, Benignitas Dei ad penitentiam te adducit; tu autem secundum impunitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ? Ipsorum ergo reproborum mortem Deus non vult. Denique si vera est illa Scriptura,

Ezech. 18.
26.

Non est voluntatis meae mors impij, falsa est Caluini blasphemia, Deus vult mortem impij, & destinatio creauit impium vt periret. Aliæ sunt in hanc sententiam innumera Scripturæ. Sed quibus hæ non satisfacimus, nullæ poterunt satisfacere.

Reprobatio ad interitum ex sola Dei voluntate refellitur.

Nunc vnum aut alterum argumentum subiiciam. Si Deus ab æterno destinauit reprobos ad perditionem ex sua absoluta voluntate, non habito respectu ad præuisa eorum peccata (sicuti hîc docet Caluinus, deridens propterea Scholasticos, qui de absoluta Dei iustitia disputant, quæ absolutam damnandi voluntatem prædictam non admittit) sequeretur necessario ex his tribus vni aut reprobatione impiorum, quoad vltimum hunc effectum, non fore certam; aut posse illam mandari executioni sine peccatis reprobis;

reprobi; aut denique huiusmodi in Deo reprobatione certam & ineuitabilem peccatione necessitatem reprobo imponere: necessitatem dico, non solum quae libertatem tollit (in quo non laborat Calvinus) sed etiam quae spontaneum excludat, quod solum actio- nis humanis ille tribuit. Nam stante hypo- thesi reprobationis à Deo factae, & ex sola illa voluntate ab aeterno determinatae, aut reprobus talis non potuit non peccare, ut propter peccata damnaretur (quae peccata proxima esse reprobationis causam fatetur ipse Calvinus, ut supra accepimus) & sic necessarium absolute peccat, quia illa hypo- thesis futurae damnationis omnem profectus antecedit ipsius reprobi libertatem, omnemque futurorum eius peccatorum praevisionem. Nam propterea & ipsam massam humani generis considerari vult Beza hoc loco, non iam in causa peccati & damnationis positam post lapsum Adam, sed in ipsa prima hominis conditione, ex qua Deus alios faceret vasa gloriae, alios vasa contumeliae: aut stante illa hypothesi potuit non peccare, & sic talis reprobi reprobatio vel non esset certa, vel certe absque villo peccato reprobi executioni mandaretur, & absque villo peccato in gehennam conijceretur. Deinde, quum peccata reprobi sunt proxima reprobationis causa quoad vltimum eius effectum, haec peccata quum Deum praevidisse negari non possit, aut praevidendo propter ea reprobum

Gregor.
à Valen-
tia in 1.
part. Tho.
q. 23. qua.
3. de re-
probat.

Annotat.
ad v. 21.

probum iustè damnare voluit, aut non obstante illa præuisione propter suam solam voluntatem. Si prius, ergo falsa est hæc Caluini sententia: si posterius, ergo nemo propter peccata damnatur; & falsum est illud aliud, quod iuxta omnes Scripturas fatetur Calvinus, ipsa peccata proximam esse damnationis causam. Sanè Beza in decreti diuini executione causas subordinatas ponit quibus reprobos iustè damnat; & Deum ab iniquitate liberari in reproborum damnatione vult, quia iure damnat induratos, quam *induratio Dei, peruersitatem præsupponat in indurato*. Rursum, si Deus non propter peccata hominum sed sua sponte & ex seipso homines reprobat, consequens erit, aut Deum magis esse propensum ad homines perdèdos quam saluandos, aut pauciores damnari quam saluari. At vtrumque istud consequens Scripturis manifestè repugnat, ergo & antecedens. Sanè pauciores saluari quàm damnari illa Christi verba perspicuum faciunt, *Multos vocati, pauci electi; & iterum, Lata est via que ducit ad perditionem, & multi ambulat per eam*. Ipsa quoque credentium toto orbe paucitas ad oculum istud demonstrat. Deum verò magis esse propensum ad saluandos homines quàm ad perdendos, tota Scriptura clamat.

Psal. 144. Suavis Dominus vniuersis: Misericordies eius super omnia opera eius: Misericordia super exaltat iudicium

Jacob. 2.

Eccle. 15. Non concupiscit Deus multitudinem filiorum

de multitudine. deniq; & loca Scripturæ sum-
 ptis enumerata. Calvinianæ igitur senten-
 tiæ impietas maxima vel ex his paucis æquo
 animo lectori manifesta fit. Nūc quæ in Apo-
 stolo sequuntur, videamus.

Quod si Deus volens ostendere iram, & notam
 facere potentiam suam, sustinuit in multa
 patientia vasa ira aptata in interitum; ut
 ostenderet diuicias gloriæ suæ in vasa miseri-
 cordiæ, quæ preparauit in gloriam.

Si hæc sententia altera Apostoli respon-
 sio (vt ipsemet agnoscit Calvinus) ad
 illam obiectionem, *Quid adhuc cõqueritur?* &c.
 quam hactenus obiurgando retundit. Nam
 quæ ad Dei æquitatem asserenda factura erant, (ait
 Calvinus ad verba præcedentia, quibus in-
 terrogantem obiurgat Apostolus) & ad ma-
 gnam illi suppetebant, in initio producere noluit, quia
 respondendi non poterant. In summa, non quod dici
 poterat, sed quod ruditati nostræ expediebat, attulit
 veritas. Nunc autem in his verbis, secunda
 responsio est (ait hîc Calvinus) quæ breuiter de-
 monstrat, etiamsi incomprehensibile sit ex hac parte
 dei consilium, elucere tamen inculpatam eius æqui-
 tatem non minus in reproborum interitu quàm salute
 electorum. Addit deinde Calvinus, non ira reddi
 de diuina electionis rationem, vt causam assignet
 reprobis, cur hic eligatur, ille reprobetur. Hoc
 cum Caluino agnoscimus, sicuti suprâ rem
 proposuimus. Actamen diuinæ electionis ra-
 tionem